

nente detenti, diebus paribus medicamento usi sunt purgante, in supra modum purgati nunquam sunt. Qui verò imparibus diebus vehemens sumserunt purgans, in purgati sunt, multique etiam supra modum purgati perierunt. Ne igitur hypercatharsis fiat, opus esse diebus paribus asserunt. Sed quartus dies est par. Ergò quartò die est purgandum.

RATIONIBUS etiam diei quarti prerogativam in acutis purgandi stabilire conantur.

I. Eâ die est purgandum, quæ dierum primæ septimanæ est tutissima. Sed quarta dies est talis. Ergò quartâ die est purgandum. Minorem probant, quia imparibus diebus timentur mutationes aliquæ, & ut decernit *Galenus 4. acutor. textu 56.* insignes ad mortem vel ad salutem. Hæ evenire nequeunt diebus paribus. Quartus itaque dies aptissimus ad purgandum.

II. Diebus non judicatoriis est purgandum. Quarta dies non est judicatoria. E. eâ est purgandum.

III. Si quartâ die non est purgandum, nulla potest dari dies in primâ septimanâ ad purgandum apta.

IV. Experientia, vera magistra, tanquam testis adducitur, quæ abundè confirmat, eamque rationibus antè allatis stabiliri asserunt.

*Verum enim verò* arietes hi licet sat grandes videantur & irati, levi tamen negotiò obviam iri illis potest.

Autoritatem *Coi* quod attinet, responderetur, numerum dierum non habere determinatam administrationis præsidii temporum rationem. Elegit quartum diem, quia alvus liquida erat, ne primis diebus tribus post purgans assumptum superpurgatio sequatur. Pervertunt itaque mentem Hippocratis, ex quâ præcisè quarta dies ad purgandum apta non colligi potest.

II. Ex eò prerogativa diei quarti nullo modò elici potest. Sermo est de acutò morbo & turgentia humorum. Hos, *inquit*, si ab initiò purgare volueris, id ante quintum diem facito, si venter murmuraverit. Loquitur de agris, quibus per febres crura tuberculosa & dolores circa articulos fiunt.

Vox